

458

456

462

ante lucem surreximus de scannis, in quibus dormivimus, et diem  
fieri praestolabamur. Quam cito autem lucem vidimus, jejuni equos  
vacuos ascendimus, et per ascensus et descensus multos in latere  
montis supra flumen Plabes equitavimus et ad locum, qui hospitiolum  
dicitur, venimus, ubi est bonum hospitium; ibi ergo ingressi refectionem accepimus nos et equi nostri; finita reflectione  
festini profecti sumus, et ad S. Martinum venimus in villam sic  
dictam, ubi creditur esse locus, in quo, ut dicitur in legenda  
S. Martini, bonus vir incidit in latrones, ibique unus securi vibrata  
voluit eum occidere, sed alter sustinuit ictum, tamen ligatus fuit  
ab eis et captus, et ductorem suum ipse convertit ad fidem. Hoc  
loco dereliquimus ad dextram flumen Plabem et per altum clivum  
ascendimus et inde in Cadubrium venimus.

Cadubrium est unus in montanis comitatus, jam sub Venetorum potestate, et nostri vulgares regionem illam nominant Hadober, estque de patriarchatu Aquileiae, pertinens ad Forum Julii. Multa viae impedimenta habuimus per illam regionem, nam strata publica et communis plena erat curribus et vehiculis et onerariis equis ferentibus vinum Italicum et Fori Julium in Alemanniam. His alii currus obviam veniebant, nec erat via extra stratafam communem propter nivis profunditatem, et quia necesse erat declinare a strata, statim, ut equus extra semitam ungulam posuit, usque ad ventrem mergebatur. Talia impedimenta periculosa habuimus multoties illo die, magis timebam in occursu currus, quam umquam in mari timueram procellarum occursum. Sole autem occasum petente venimus in Pratinum, et est locus laetissimus inter montana, in quo sunt prata multa et bestiarum pascua, et in medio grandis villa, quam vulgariter nominant zum Haiden, id est, ad Prata; ibi hospitium ingressi per noctem mansimus. Porro ante coenam ecclesiam, quae prope erat, ingressus ad dicendas vesperas reperi in coemeterio stare in capsula tria corpora mortuorum integra, quorum satis horribilis est aspectus, stant enim adhuc omnibus cohaerentibus membris tabefacta carne suntque levissimam habentia cutem integrum induratum, nasos et aures et genitalia ut ligna indurata. Unum autem illorum corporum videtur (225 a) hominis juvenis fuisse, et hodie vultum habet ridentis hominis, suntque ita integra in terra reperta. Saepe fui in loco, nec corpora illa sufficienter ammirari valui, linteamina cum eis sepulta,

Ende

Anfang

